

39. Causam tantæ humiliationis si requiras, haud inepta prorsus ea videri debet, quâ nonnulli ex patribus delectantur, asserentes ideò hoc factum, 1. quia nihil in universa hac terræ machina reperiri poterat, quod divina ipsius Maiestate esset dignum: 2. ne fortunâ magis quàm naturâ magnus videretur.

40. Sed potior ea est causa, quam sacræ literæ nobis pandunt, ideò profundissimè humiliatum esse excelsum, ut nos, quos redimendos susceperat, eveheret: & quanto pro nobis ipse factus vilior, tantò nobis esset charior. 2. Cor. 8, 9,

41. Possunt autem ad primum hunc humiliationis actum commodissimè referrî, ipsum vitæ Christi genus, educatio, studia, mores, professio, profectus, scientia, ignoratio, conversatio, & infirmitates quævis aliæ, de quibus Apostolus breviter at nervosè pronunciat, quòd τὸ ἕνικαλί habitu repertus fuerit ut homo, Phil. 2, 18.

2.  
Passus.

42. Alter humiliationis actus violentas passionibus continet, tam animi, quàm corporis & plurimas & atrocissimas, quas omnes confessio nostra uno passionis termino complectitur.

43. Quemadmodum verò Actiones in Christo, sic & passionibus non sunt naturarum, sed totius personæ, secundum usitatam Theologorum regulam.

44. Etsi enim Divinitatem passionibus velle subycere, non modo à fidei Christianæ, sed etiam à sanio-

à sanio-